

1438 rent, per anfractus montium & abrupta saxa ad hostem latenter ire jubet, ac cum barbaro inermi manum conserere. Quod quum illi naviter fecissent, pulsis imminentibus jugo hostibus, per ocium est agmen traductum. Trecenti illi liberatores gravioribus armis eo loco, unde hostes missi fuerant, relictis, per reliquum noctis itinera & saltus explorabundi agmen præcessere: tertia inde aurora, quum ad Thenium ventum esset, oppidani primo nihil movere, inde exterritum agmen repente adorti, impedimentorum partem cum ducentis equis Veneto ademerunt. Demum in planicie Arcui subjecta invictum agmen desedit. Hic per exploratores cognitum est, Sarcam fluvium, qui ex Tridentinis montibus in Benacum decurrit, ita nocturnis imbribus crevisse, ut vadari nullo modo posset. Postero die, postquam transmittendæ copiæ ad flumen constituerunt, in adversa ripa ex improviso armati hostes apparuerunt, quos Lodovicus Vermius a Picinino per Benacum missus, eo celeri cursu traxerat. Sunt qui ad Penetranum saltum Vermium & Franciscum Vinciguerræ filium, Venetis occurrisse dicant. Sive igitur hic, sive circa flumen (omnino enim loca pene contigua sunt) sese hostis objecerit, satis constat, ingenti Venetum pavore perculsum (a fronte, a tergo, & ad lavam omnia hostium erant, de xtram lacus ipse cladebat) Leonardum Martinengium ad Vinciguerram Arcuensum regulum misisse, cui ille agnatione propinquus erat: mandatum ad id, ut quantumvis amplis pollicitationibus niteretur hominem in suam trahere sententiam: qui si Venetorum amicitiam complecti nollet, eo saltem beneficio Venetum demereretur nomen, ut nihil hostile in se moliretur, Penetrensemque saltum relaxaret. Quod ille ut faceret, non modo non adduci potuit, sed continuo etiam contra jus gentium Leonardum in custodiā conjecit, eumque vincitum postea Mantuam misit, ubi ille vitam cum morte commutavit. Martinengii casus majorem adhuc terrorem Mellitæ & aliis injecit, apparebatque actam esse de tot fortibus viris, lacu, montibus, flumine inclusis; aut in hostium potestatem, abjectis armis,